

Don. H. N. 264.24

Z d
2374

Γ Α Μ Η Λ Ι Ο Ν .

IN HONOREM
CLARISSIMI VIRI
CASPARI PEVCERI,
Medicinæ Doctoris Sponsi : Et
pudicissimæ Virginis, ELIZABETHAE SCHILTIAE
Sponsæ.

SCRIPTVM.

A X 1395108

THOMA FABRO
FRIBERGIO.



Budissinæ.

M. D. LXXX.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



Quid Pharetrate puer iuris tibi sumis, ut omnes
 Inuitos quamuis sub tua iussa trahas?
 Figere cur missis non parcis corda sagittis,
 Ob mala quæ dudum multa querantur habent.
 Conueniunt lætis tua tela, & amantibus æui
 Ocia non ullo mista labore sequi.
 Quid meus emeruit PEVCERVS, quid meus, inquam,
 Est uisus fieri præda petita tibi?
 Pieridas inter qui condens lumina luctu,
 Captiui plangit uincula dura patris.
 Vincula quæ numen succensum neçtere pergit,
 Et iubet heu dextræ tela trifulca pati.
 Sed spem mente fouet placari numinis iram,
 Et magnæ retrahi fulmina posse manus.
 Aëria semper non Iupiter intonat arce,
 Sed facit adducto sole redire diem.
 Sæpius incensus rapido quem fulmine læsit,
 Huic uitam rursus donat habere nouam.
 Scilicet iratam mollit clementia mentem,
 Et facilè motus inferit illa pios.
 Desino. Mox Pharetras Anchisæ coniuge natus
 Ostendens, reddit mutua dicta meis.
 Accusas quid me puerum, quid uoce lacesis,
 Officij iussus munera præsto mei.

Est

Est nullo diues, nullo est discrimine pauper,
In cunctos mens est par, animusq; mihi.
En mea castra subit Veneris qui gaudia quaerit,
Castra subit querulo qui gemit ore miser.
Nostra rudes subigit, doctosq; potentia, tantum
Nescio quis robur fecit habere Deus.
Ne mirere tuum me nunc tentare sagittis,
Et face PEVCERI figere Corda mea.
Quis genus, & nomen, linguae quis dona PHILIPPI,
Ingenij & nescit docta reperta sui?
Quae regio, qui non longinquis praedicat oris,
Teutonico quondam praestita dona solo?
Seu sacra tractauit caelestis dogmata uerbi.
Seu uetera authorum scripta legenda dedit,
Dexter erat totus, dextra docuitq; Minerua,
In scriptis minimè tecta uenena latent.
Quis focero generum, PEVCERVM nomine, dignum
Non uenerans superae tollit ad astra domus?
Quem Pallas docuit, quemq; enutriuit Apollo,
Quem fouere nouem, numina magna, Deae.
Dum fuit Aonidum columen, haeresq; PHILIPPI
Virtutum, & medica claruit arte diu,
Vera sibi peperit solidae praemia laudis,
Nomen & à sera posteritate feret.
Contigit haec etiam tantarum gloria rerum,
Gnatis. Pierium nam coluere chorum.

Inter

Inter quos primus quærens uestigia patris,
Magnum hic Phæbea nomen in arte tenet.
Pulcrius est quid nam, quid laude decentius omni?
A patre non natos degenerasse bono.
Rara hæc cernuntur doctorum exempla uirorum,
Et uix è multis millibus unus erit.
Hunc quoties uidi mœstum, pietatis amore
Deplorare sui tristia fata patris,
Sollicitasse Deum uotisq̃ ardentibus altum,
Flecteret irati numina magna Ducis,
Aggressus toties nostræ non immemor artis,
Lenirem ut media parte doloris onus.
Tristitiæq̃ darem sociam, sociamq̃ querelæ,
Lugeret solus ne mala tanta domi.
Semper enim, si qua est, imponitur apta duobus
Sarcina, coniunctis fit leue semper onus.
Multa potest sociatus amor, sociataq̃ cura,
Tollit cura mali pessima. lenit amor.
Pectore tela suo frustra coniecta resultant,
Nil potuere manus, nil potuere faces.
Nescio quas herbas, sibi quæ medicamina sumpsit,
Quis nostro semper tutus ab igne fuit.
Irritus an cedam? tentabimus ultima dixi,
Legibus hunc nostris succubuisse decet.
Succubuit, uictusq̃ iacet, iam præda sagittis
Est transfixa meis, uictus amore iacet.

Quid

Quid me atela queant, rutilus quid possit & ignis
Aspice, me flammæ prædico iure Deum.
Non hoc me studium, non me labor iste grauauit,
Et me non unquam pœnituisse potest.
Gratulor huic teneram me coniunxisse puellam,
Præsentis semper quæ medicina mali.
Non tantum Phœbo, nymphæq; Coronide natus
Optatæ posset ferre salutis opem.
Ipse licet portet collectos undiq; flores,
Quasq; fouet herbas terra benigna sinu.
Non fallor restant mihi tot certissima signa,
Signa quibus potero contribuïsse fidem.
Nam possunt pulcras quæ commendare puellas,
Et quæ perfectæ nomina laudis habent,
Largiter hæc illi superi tribuere benigni,
Virgineum pariter possidet omne decus.
Fida comes fuerit sponsi, fidumq; leuamen,
Fidus amor, tristis fida columna domus.
Hausit cum primo Pietatem lacte parentis,
Semina nunc cuius pectore fixa tenet.
Soluere uota Deo, saluanti fidere Christo.
Firma & opem nouit poscere rite fide.
A summo dubitat non accepisse Tonante,
Illum quæ constans supplice uoce rogat.
Scit non aurato sic uictima candida cornu,
Sicq; placere focis exta cremata Deo.

Vt

Vt puræ candor mentis, pietasq; fidesq;
Et uerus ueræ religionis amor.
Hæc sponsi uotis iunget suspiria cordis,
Pulsabitq; pia templa superna prece,
Ianua pandetur facilis, mitemq; uidebit
Auxilium à celso uertice ferre Deum.
Qui patrem sponsi deducet carcere, quiq;
Maiore antiquum reddet honore decus.
In manibus cor regis habet, sensusq; latentes,
Et quæ uult iussu perficit ille suo.
Adde quod hanc ornet speciosi forma decoris,
Primaq; uirginei sit celebrata chori.
Cedit huic facie de cuius amore maritus
Tractat opus Martis per duo lustra graue.
Nec tu talis eras, ob cuius mergitur ignem
In tumidis cœca nocte natator aquis.
Nec quæ Tarquinij nato stuprata superbi,
Sponte sibi cupidas intulit ipsa manus.
Hæ cedant, quamuis cantatæ carmine uatum,
Fugere & structos nomina clara rogos.
Est potius castis hæc annumeranda puellis,
Nunc melior quorum nomina fama tenet.
Talis erat patrios linquens quæ iussa penates
Isace in thalamum uenit amica tuum.
Talis erat quæ fraude senum damnata duorum,
Sed pueri charo reddita uoce uiro.

Si

Si tamen hæc illo uixisset tempore, magnum
Certamen formæ sæpe fuisse puto.
Hæc poterit tristes depellere nubila mentis,
Et sponsi curas demere pulcra sui.
Ille hanc aspiciens casto inflammabitur igne,
Deponet curas captus amore graues.
Non tot habet conchas littus, non sidera cœlum,
Hortus totq̃ rosas, tot quoq̃ Spreuus aquas:
Crede mihi pascent mentem quot gaudia sponsi,
Corporis & serpent tota per ossa sui.
Et merito. Quis. n. pulcram non expetit, & quem
Illius amplecti colla decora piget?
Forma etiam mouit superûm præcordia, mouit
Vultus, & à nulla qui fuit arte, decor.
Quid homo quid faciat? lapides nō pectore, motum
Sed castum summus fecit habere Deus.
SCHILTEA iam dudum stirps est his dotibus aucta,
Multorum mouit quîs pia corda uirûm.
BERGMANNVS clarus Budissa consul in urbe
Atq̃ patris fidi dignus honore cani,
Dulcia cum Clotho socialis fœdera lecti
Rumperet, & uiduæ cura erat ampla domus,
Ex hac stirpe sibi nuptam delegit amicam,
Qua lenit uitæ tædia longæ suæ.
Hæc te PAVLE rapit formæ VVINCKLERE uenustas,
Ex eadem & sociam quæris habere domo.

Hæc

Hæc MATTHAEË trahit quoq; te PEVCERE, mouetq;
Vnam ex his lecti iungere iure tibi.

Quartus ab his tuus est, qui nunc PEVCERVS amicæ
Ardore incensus candida colla petit.

Omnis in hoc mea cura stetit, studiumq; laboris,
Huius in ut posset uirginis ire thorum.

Scilicet hæc supero domus est dilecta Tonanti,
Ipsaq; quæ promat gaudia mater habet.

Gaudia mater habet, gnatas quia conspicit esse
Præcipuis iunctas sorte fauente uiris.

Est aliquid tali genetricem forte beari,

Hæc quia rara, decet hoc mage laude uehi.

Quid reliquas referam dotes, quæ prædita uirgo,

PEVCERVM potis est exhilarare tuum;

Fucus abest omnis, raræq; superbia formæ,

Regnat & in fido pectore simplicitas.

Quæ profert certo metitur uerba pudore,

Cum quibus & mores conuenienter eunt.

Sed mea uela traham laudando dona puellæ,

Vela traham, satis hæc significasse tibi.

Non hanc PEVCERO dextram iunxisse pigebit,

Et tenerum tenero composuisse latus.

Gaudebit potius talem sortita maritum,

Quo magnum poterit semper habere decus.

Hunc castæ dudum mille optauere puellæ,

Mille huius recipi non potuerunt thoro.

B

ELIZA,

FLIZABETHA uiro tali tu sola reperta
Digna, nec inuideo, digna reperta thoro es.
At teneris studuit Musas euoluere molles,
Leucoræ uenerans docta theatra scholæ,
Cui sua sacra tulit Phœbus, cætusq; Dearum
Fertur in hanc artes deposuisse suas.
Se lateri iungens hîc pendet ab ore docentis,
Atq; auido figit pectore dicta patris.
Quoc; it doctorum tacitus uestigia adorat,
Nititur esse illis par in honore uiris.
Illa ego fortè meo tacitus si corde reuoluo
Secula, tot claris secula fœta uiris,
Nescio lætatur quam dulcedine pectus,
Et puto, non fallor, crede, fuisse Deos.
Tantus honos, & tanta fuit concordia, tanta
Doctorum multis pompa, chorusq; locis.
Hei mihi iam facta est qualis mutatio secli,
Hei mihi quàm uiduæ limina mœsta scholæ?
Ad flauas subito confurgens Albidos undas,
Quot merfit claros uasta procella uiros?
Dij meliora ferant, melioris tempora uitæ,
Si speranda modò sunt meliora bonis.
Vulnera sed quid ego renouo, quid tristia uerso,
Sunt iam sunt potius læta canenda mihi.
Ille tuus, cedens fortunæ, cœpta laboris
Perficit, & iussus clara Lycea subit,

Sunt

Sunt ubi structa Palatini Ducis atria, latos
Atq̄ agros liquidis Nicer oberrat aquis.
Sedulus hîc discit inuentum ab Apolline munus,
Corpora quo morbis ægra leuanda modo.
Herba ad opem quæ sit fidiſſima, quiûe ſapores,
Ægrotis ſucco quo reparanda quies.
Ad meritos ergo tandem conſcendit honores,
Pœoniæq̄ artis nomina doctor habet.
Hanc nunc exercet Budiffa fidus in urbe,
Et querulis ægris ferre paratus opem eſt.
Non dura quenquam uenientem uoce repellit,
Sed faciles aditus comis habere ſinit.
Scilicet ingenua qua quiſq̄ eſt cultior arte,
Hoc magis humanis moribus eſſe ſolet.
Non exoptaret talem quæ nupta maritum,
Illius & caſtum uellet inire thorum?
Sponſa, mihi credas, ſubnectet brachia collo,
Oſcula PEVCERO dans repetita ſuo.
Agnoscet grato fortunam pectore talem,
Diuitis & noſcet munera tanta Dei.
Gratus erit ſocius thalami, gratusq̄ maritus,
Cum quo Cumææ ſecula uatis agat.
Deniq̄ quæ facies, quæ firmæ membra iuuentæ,
Quæq̄ acies pulcri luminis, atq̄ uigor,
Quid memorem? res oſtendit, ſi conſpicit illum
Corpore præſtantiſſimum dixerit eſſe uirum.

Aërias

Aërias cesso sed tollere corpus in auras,
Et traxisse alios ad mea castra greges.
Sat te sat docui causas. cur corda sagittis,
Aufus PEVCER Ifigere docta tui.
Arte mea lætor, Dominus quia dicor amoris,
Ius hoc qui poterit demere, nullus erit.
Tu qui fortè manes, thalamo dic fausta, nouisq̃,
Omnia coniugibus mente precare bona.

ALIVD

A IOHANNNE SEIFERTO
Budissino Sponsi Cognato
scriptum.

QVO me Musa uocas ô Calliopeia, Sororum
Quas Parnasus habet byugus, pulcherrima? quo me
Phæbe trahis? quæ uestro animo sententia surgit?
Anue canam tragico Mauortia bella cothurno?
An, dicam ut matrem furij agitata Orestes
Armatam facibus fugiat? uel, (quod reor esse)
Doctrina claro, magnisq̃ parentibus orto
PEVCERO, cui se forma pulcherrima uirgo
Connubio iungit stabili, genialia pacta
Ore sonans referam, & socialis gaudia amoris?
Sic est: sic meritis, semper sua nomina cedro
Victoria quò inscribantur. namq̃ inter alumnos
Non facile cuiquam cessit, qui uestra frequentant.

Limina.

Limina, maiorem ut uobis præstaret honorem.

Ergò agè, desuetum nunc barbiton accipe Musa:
Ista dies uultus hilares, & summa requirit
Gaudia: iamq; iuuat suauimodulamine amores
Concinere, & meritis illis superaddere laudes.

Interea longè tristes discedite curæ,
Tuq; ô Tisiphone, & furiali carmine habo,
Omnis aspectu nè sis causa sinistri.

At non insanos iam nunc cantabimus ignes,
Quales Tyndaridis latuere in corde, sui quæ
Coniugis, & thalami, sanctiq; oblita pudoris,
Cum Paride illicitæ subijt connubia tædæ.
O procul obscæni, procul hinc fugitote furores.

Quin potius castum, casto qui è pectore manat,
Vnda uelut liquido de fonte, canemus amorem:
Quem paradysiack DEVS inspirauit in hortis,
Mortales uultus terræ de puluere postquam
Condidit: inq; sinum ad præcordia subdidit ima.

Ille est uerus amor, sensim incaluisse medullas
Qui facit, & sensus penetralia cuncta pererrat.
Ille uoluntates, & pectora iungit amanti,
Radicesq; altas agit, ut, dum Spiritus ori
Vllus inest, nunquam se auellant, nubila siue,
Seu soles iterum mittat DEVS ipse serenos.
Verum animo tolerant magno genus omne malorum,
Alternasq; uices subeant, minuantq; labores,
Tristitiamq; adimant uerbis, sanentq; dolores:
Et quo fata trahunt sese, retrahuntq; sequantur.

Talis in Isacide latitabat flammula uenis
Cogentem ut RACHELAM uidit cum matribus agnos
Adlatices: hæserè infixi pectore uultus.
Nec requieuit enim, donec labentibus annis
Coniugio illius tandem, lectoq; potitus.

Talem etiam inq; tuo nunc pectore concipis ignem,
O PEVCERE tuæ non ultima gloria stirpis,
Te iubet & pietas, socij & reuerentia lecti
Te iubet, ut sponsæ cupias connubia caste,

Que

Quæ tecum longos peragat feliciter annos.

Quod petis: en præstò est, tua nec te oracula fallunt.

Ergo SPONSE animo cape gaudia plurima, quando

Auspicio superùm talis tibi contigit uxor:

Qualem exoptasti uotis: quæ à stirpe parentum

Eximia, generis duxit primordia: uerè

Quæ pietatis amans: quæ moribus aucta pudicis:

Quæ forma Nymphas reliquas supereminet omnes.

illa suos tecum gaudens coniunget amores,

Pars erit illa tuæ non ingratißima uitæ:

Dulcis curarum requies: tua sola uoluptas.

Et licet, ut tibi sit iunctißima, iunctior esse,

Et petere amplexus, & dextræ iungere dextram

Expetet, & blandis interferet oscula uerbis.

Præterea pulchra faciet te prole parentem.

Nec tua SPONSA minor nunc gloria, nostra Camæna

Certè equidem digna es, celebri quam carmine laudet.

En iuuenis tecum, præstans modo corpore, & annis,

Iura subit thalami: discernere pharmaca Phœbus

Cui dedit, & uires herbarum: & fata medendo

Protrahere: hic medicas iam exercet grauitè artes.

Ille suum ducens ortum de stemmate claro,

Magnum ostendit auum, quo non præstantior alter

Se uiuente fuit: nunc & post funera uirtus

Ipsius superest, nostro notißima seculo.

Perq; amplas pater est fama celeberrimus urbes,

Atq; nouenarum decus immortale sororum.

Credo equidem diis auspiciis, fatoq; secundo

Illæ tibi domuiq; tuæ contingere. Quis te

SPONSA satis celebret? quis prædicet usq; beatam?

Ergo felices ambo, quos fata, DEV SQ;

Et socialis amor felici sidere natos

Iunxere: ò uestra hæc auibus solennia faustis

Incipite: id uobis nunc Calliopeia precatur.

Prospera procedat semper fortuna, nec ulla

Tempestat quatiat uestros, nil triste, penates.

Mutua conseruet thalamum concordia uestrum:

Tu SPONSE in Pylios, CUMÆOS SPONSAq; in annos
Viuatls, lecti cernentes pignora multa,
Quæ generis uestri, stirpsq; MELANTHONIS alte,
PEVCERiq; ferant hinc usq; ad sidera cœli
Nomina, auum atq; patrem uirtutum laudibus æquent.

Sic dum continuo uolenter sidera motu,
In freta dum fluij current: dum gloria Musis:
Semper honos, decus & uestrum, nomenq; manebit:
Vestraq; progenies insigni laude feretur.



BVDISSINÆ.
Excudebat Michael
VVolrab.

Zd 2374 Bk

BADEN
Expeditor Michael
V. V. V.

M. V.



Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

BIBLIOTHECA
SACRAVIANA

LXXX.

Missinae.

ERGIO.

FABRO

X 1995108

PTVM.

nsae.

virginis, ELIZAE
SCHILTIAE

oris Sponsi : Et

PEVCERI,

IMI VIRI

NOREM

AION.



Z d
2374

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)